

qui petit aliquid, quam, qui subinde dando suum studium amico probare conatur. Quia enim boni viri et natura ingenui saepius animo quam muneribus amicum aestimant, magis nonnunquam illo honorifico iudicio aliorum delectantur, quo putant sibi tribui laudem beneficentiae et liberalitatis, quam donis. Quare, cum mihi magnitudo et candor animi tui ex multis sermonibus Domini Philippi bene sit notus, non vereor, ne iniquo sis animo accepturus, siquid tibi oneris imposuero. Id autem quale sit, breviter expono. Rumor est Witebergam perlatus ante tres fere septimanas duos ex illis, qui ex domesticis D. Sebaldi piae memoriae contagium vitaturi in patriam se recepturi erant, Lipsiae peste corruptos decumbere in aedibus hospitis tuae. Ibi cum studiose inquirerem, quinam essent illi duo, tamen nihil certi explorare potui. Accidit deinde, ut coniux et amici domini Philippi me rogarent, ut filium Philippum abducerem in tutum aliquem locum, ne, cum patris aedes, ut nosti, omnibus sint perpetuo apertae, aliquid veneni puer hauriret ab intrecentibus. Secessi igitur cum puero Grymmam ad Gengebachium, ubi speravi me propter vicinitatem facilius cognitorum nomina et valetudinem illorum, qui isthic peste dicebantur laborare. Sed ne hic quidem potui quicquam explorare ab ullo. Quare facere non potui, quin te rogarem, ut, siquid de illis certi haberet, qui sint et an revaluerint, ad me, ubi per occupationes tuas posses, prescriberes. Causa, cur tantopere de illorum iuvenum valetudine scire labore, haec est, quod in illo coetu fuit etiam unus ex meis discipulis patria Noricus, Hallerus nomine, mihi singulariter a suis commendatus. Is se illis abeuntibus me absente adiunxerat, cum Philippum comitarer in Marchiam euntem¹⁶. Quare cum pro discipuli incolumitate valde sim, ut debeo, sollicitus, conquiescere non potero, donec nomina illorum rescivero. Te igitur iterum atque iterum rogo, vir clarissime, ut hac in re tuum mihi officium ne deneges. Addo etiam amplius, ut, si quid de statu Witembergensis scholae habes novi, mihi simul paucis signifiques. Nam ab eo die, quo Witebergam egressus sum, ad hunc usque, qui decimus nonus est, prorsus nihil audire de rebus Witembergensis a quoquam potui, quod et valde miror et aegerrime fero. Credo autem te aliquoties hoc intervallo a Domino Philippo accepisse literas aut ex aliis saltem, qui isthac transierunt, didicisse, quid Witebergae geratur aut habeatur novi. Ego vicissim tibi defero meum studium et officium, quod ut aliquando tibi in re maiori probare possim, Deum summe precor. Meus hospes Gengebachius, vir vere pius et bonus, iussit me tibi et D. Doctori Crucigero plurimam adscribere salutem et suam valetudinem, quam iam denuo podagra infestat, vestris commendare precibus. Bene vale, vir doctissime, et meam in scribendo audaciam boni consule! Salutem dicas, quaeso, quam officiosissime meis etiam verbis Domino Doctori Casparo. Datae XV. die Novembris.

II.

S. D. Valde sum solicitus de tua et tuorum valetudine, clarissime domine praceptor, neque tamen quicquam ex ullo resciscere de vobis possum. Quae res facit, ut annum mihi videar a te abfuisse. Ex variis coniecturis de causa silentii vestri etiam haec una fuit, quod dominus Joannes¹⁷ credidit vos parare migrationem et propterea nihil scribere posse. Ego autem arbitratus sum vobis defuisse certi hominis copiam,

¹⁶ CR 3, 803.

¹⁷ Wer ist das?